


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ga
9
783



Ga 9.783



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

OBSERVATIONES ARCHAEOLOGICAE AD AESCHYLI FABULAS PERTINENTES.

COMMENTATIO ARCHAEOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ROMANUS NIESTROJ,


BORUSSUS OCCIDENTALIS.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

MDCCCXCIIII.

Ga 9.783



Constantius fund

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Viri docti permultum disputantes quae ratio inter artium monumenta et opera poetarum et epicorum et scaenicorum intercedat in universum artifices, maxime vasorum pictores, ad poetarum opera spectasse arbitrantur. Epicos saltem poetas artifices respexisse nemo negavit. De scaenicis poetis non omnes ad unum idem sentiunt, sed multum inter se disceptant. Quibus disceptationibus multum inconstantiae et fluctuationis id addidit quod quibus temporibus singula artis genera, maxime ars vasa pingendi, floruissent non satis constitit. Ita factum est ut ab Aeschyli fabulis vasa et nigris figuris [1]) et rubris artis quam severiorem [2]) dicimus picta pendere putarentur. Cui sententiae contradicens Robertus primus contendit nullum esse vas pictum artis severioris in quo ea fabularum forma qua Aeschylus, Sophocles, Euripides poetae usi essent a vasorum pictoribus expressa esset. [3]) Attamen manasse aliquid etiam eo tempore ex fabulis poetarum scaenicorum in vasorum imagines. Cum enim imagines nigris figuris pictae colore rubro sublito ex more epico totas fabulas atque multas personas ex arbitrio pictoris additas continerent, saeculo V certam fabulae partem eamque gravissimam in iis repraesentatam esse et personas appictas non temere, sed prudentia quadam ita electas esse ut ad rem quae maxime ageretur aliquo modo pertinerent. [4]) Praeterea

---

[1]) Luckenbach, Jahrbuch fuer klass. Philologie. Suppl. XI p. 414, 560, 617. [2]) Brunn, Troische Miscellen III 1880 p. 179. [3]) Robert, Bild und Lied 1881 p. 28, 129. [4]) Robert, l. c. p. 29 sq.

morem poetarum scaenicorum secutos artifices in vasorum imaginibus nuntium res gestas narrantem pinxisse.[1])

Longius progressus est Vogelius, qui ut fabulas quae a poetis scaenicis compositae sint ad artium monumenta saeculi V pertinere negat — hoc quidem saeculo IV factum esse — ita omnes imagines quas a tragoediis pendere ex ornatu praecipue eluceat in Magna Graecia pictas esse dicit.[2]) Quod vir ille doctus Euripidis fabulis cum artium monumentis collatis demonstravit.

Sed cum Euripidis fabulae exeunte saeculo V florere coepissent atque imagines imprimis vasorum ante eum pictas ad fontem aliquem revocari necesse esset, permultis viris doctis cum Aeschyli et Sophoclis tragoediis eiusdem temporis vasorum picturas coniungere placuit. Itaque vasorum effigies, maxime artis liberioris saeculi V, ad Aeschyli et Sophoclis fabulas relatae sunt.[3]) Neque tamen quomodo hoc factum esse videatur viri docti consentiunt. Sunt enim qui dicant quae in scaena acta essent artifices accurate repraesentasse.[4]) Alii putant quam materiam fabulamque poeta protulisset in universum ab artificibus expressam esse.[5])

Clare igitur perspici non potest quae ratio sit inter artium monumenta et opera poetarum scaenicorum. Atque ut quomodo in Aeschyli fabulis res se habeat accurate cognoscatur, hoc opusculum in duas partes dividere constitui, quarum priore artium monumenta quae ab Aeschyli fabulis pendere visa sunt colligam et cum illis conferam, ut appareat num re vera dependeant. Altera autem huius disputationis parte inquiram num alio modo Aeschyli fabulae et artium monumenta cohaereant.

---

[1]) Robert, l. c. p. 30. [2]) Vogel, Scenen Euripideischer Tragoedien 1886 p. 25, 26. [3]) Furtwaengler, Arch. Z. 1885 p. 223 sqq., 50 Winckelmprg. p. 163; Klein, Euphronios 1886 p. 150, ann. 1, 238; Robert, Hermes 25 p. 428; Litteraturzeitung 1886 No. 4 p. 131. [4]) Wernicke, Arch. Z. 1884 p. 201; Arndt, Studien zur Vasenkunde 1887 p. 67. [5]) Furtwaengler, l. c. Robert, Bild u. Lied p. 169 ann. 16.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Ad prioris Aeschyli fabulae versum 289, in quo Iuppiter, ut cum Ione congrederetur, tauri speciem praebuisse narratur, vasis Caeretani figuris rubris artis severioris picti effigiem, editam in Ann. dell' Inst. 1865 tab. I K, referri licere Maassius[1]) putat. Est enim taurus pictus, ante quem Iuppiter dextram manum tollens in sella sedet. Argum iuxta taurum humi prostratum Mercurius gladio stricto aggreditur. Huius effigiei pictor illam secutus est pingendi rationem qua a severiore arte ad liberiorem artem transitus fit. Qua de causa haec imago cum Aeschyli fabula coniungi potuit. Itaque Maassius comparata imagine cum Aeschyli descriptione affirmat Argum in illa occidi praesente et Iove et tauro, absente Ione atque illum taurum pictum ad Iovis mutationem v. 289 significatam spectare. Sed haec interpretatio vera non est. Taurus enim pro Ione vacca, ut Schoeneus[2]) et Engelmannus[3]) recte cognoverunt atque demonstraverunt, pictoris errore ortus est. Etenim praeter ea quae iam viri illi docti viderunt omnino explicari non potest quo consilio duplex Iuppiter pictus sit. Accedit quod veri est simillimum Argum custodem praesente Ione necari.

Neque minus errat Schoeneus[4]), cum huius imaginis Iovem manum tollentem ad Promethei v. 846, 847 revocat, ubi poeta dicit Ionem vaccam a Iove, cum manu eam tetigisset, in pristinam virginis figuram immutatam esse. Quod in hac imagine expressum non est. Nam Iuppiter vaccam non tangit, sed illo gestu Iovis Mercurius Argum interficere iubetur. Ita si imaginem interpretamur, ea quae singulae figurae agunt arte conectuntur, neque confunduntur res non eodem tempore factae. Nam Argus a Mercurio iugulatur, priusquam Io virginis formam recuperavit.

Apparet igitur hac in imagine Mercurium Argi necem praesentibus Ione vacca et Iove perpetraturum esse. Atque cum hanc fabulam non Aeschylus primus narravisset, sed iam ante eum pictores repraesentavissent, huius vasis pictorem artis suae exemplar secutum esse meo iure contendere possum.

---

[1]) Index lectionum Gryphisw. 1890/91 p. 29 ann. 2. [2]) Annali dell' Inst. 1865 p. 149. [3]) De Ione, dissertatio 1868 p. 20. [4]) l. c. p. 151.

In alterius generis vasis arte liberiore pictis imago Ionis cornibus fronti impositis significata invenitur. Ex his affero exemplaria veterrima tria: Vas editum ab Overbeckio in Kunstmyth. Atlas tab. VII, 13, vas cat. Berol. nr. 2651, cratera editum in Mon. dell' Inst. II tab. 59.

Cum igitur ars pingendi initio saeculi V progrederetur atque excoleretur, aliam Ionis pingendae rationem pictores probaverunt. Io picta duo cornua in fronte ferebat. Hac eadem forma Ionis mutatae Aeschylus quoque in Prometheo fabula usus est. Io enim virginis cornigerae specie induta furibunda in scaenam proruit. Sed uter exstitit huius mutationis auctor, artifex an poeta? Engelmannus [1]) poetas tragicos eam excogitasse contendit; veritos enim eos esse vaccam mugientem in scaenam mittere. Hac coniectura nuper uberius explicata [2]) vir ille doctus sibi persuasit Aeschylo illud tribuendum esse, si quod non satis constaret, Prometheus fabula prius docta esset quam Supplices. Hoc si certum esset, quare Io in Supplicum illo loco *βοτὸν μιξόμβροτον* nominaretur probabiliter explicari posse. Sin Supplices fabula prius docta esset, alium quendam poetam scaenicum ante Aeschylum eam Ionis formam invenisse; nam cum hac in fabula Io in scaenam non prodiret, non fuisse quod de alia Ionis specie atque initio fabulae poeta diceret. Haec Engelmanni ratiocinatio, qua poetae scaenico hanc inventionem tribuit, nullis iustis causis fulta est atque etiam uno loco Herodoteo imminuitur. Cum enim Herodotus (II, 41) dicat: „*Τὸ γὰρ τῆς Ἴσιδος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι*“, concludi licet, cum Isidis signum cornibus capiti impositis ornatum videret, Ionis imaginem ut Isidis simillimam ipsi a Graecia notam obversatam esse. Priusquam igitur Herodotus in Aepyptum profectus est, quod inter annum 460 et annum 450 factum est [3]), Ionis cornigerae picturae in Graecia cognitae erant. Atque habemus

[1]) l. c. p. 33. [2]) Roschers Lexicon II, Artikel: Io p. 271, 272. [3]) Alfred Wiedemann, Herodots II. Buch mit sachlichen Erklaerungen. 1890 p. 4.

eiusdem temporis imaginem, in qua Io virgo cornigera conspicitur[1]). Neque tamen ullus vasorum pictor hanc figuram primus pinxit, sed artifex operis maioris, quem ille imitatus est. Nam vasa liberiore modo figuris rubris ornata ex picturis artis maiores pendere solent. Itaque affirmare licet iam ante saeculum V, fortasse initio illius saeculi, artificem aliquem in opere maiore hominem in bestiam immutatum ita repraesentasse ut ex una corporis parte bestia agnosceretur. Cum igitur Aeschylus in Prometheo Ionem in scaenam mittere vellet, pictorum rationem secutus virginem cornigeram induxit, praesertim cum constet Prometheum fabulam in numero earum ponendam esse quas Aeschylus ultimas composuit.[2])

Pictus exstat Orpheus in monte sedens et Thracibus audientibus lyram plectens in cratere artis pulchrae Gelae effesso, edito in 50 Winkelmprg. tab. II. Praeterea Orpheus simili modo a Polygnoto pictus est in ea tabula Delphica quae *Νεκυία* nominatur. Quarum imaginum materiam ex Bassaridibus Aeschylea petitam esse Furtwaengler contendit.[3]) Hoc mihi verum non videtur, etiamsi apud Aeschylum Orpheus item in monte sedens et lyram ludens cantansque inductus est. Nam Orpheus cantor iam in vase nigris figuris ornato invenitur.[4]) Atque etiam Orphei habitus, quem maxime pictorem ex Bassaridibus duxisse Furtwaenglero placuit, ad artem antiquiorem pertinet. Ita enim Paris in vasis rubris figuris severiore modo pictis a Brygo[5]) et Hierone[6]) expressus est. Qua de causa contendere licet Polygnotum hunc typum ex imaginibus antiquioribus repetiisse. Huius maximi pictoris exemplum pictor vasis Geloi secutus est.

Neque minus pictores crateris in Mus. Borbon. IX, 12 editi et hydriae in Arch. Z. 1868 tab. III publicatae, in quibus Orpheum eodem modo atque in vase Geloo pictum maenades

[1]) Overbeck, Kunstmyth. Atlas tab. VII, 13. [2]) Bergk, Gr. Litterat. III, 312, 314; Christ, Gr. Litterat. p. 163. [3]) Furtwaengler, 50 Winckelmpr. p. 163. [4]) Hartwig, Arch. Z. 1884 p. 272. [5]) Monum. ed Annali 1856 tab. XIV. [6]) Overbeck, H. G. tab. X, 4.

ut occidant aggrediuntur, artis antiquioris monumenta in Orphei quidem figura imitati sunt.

Quod ad reliquarum figurarum habitus attinet, potissimum earum quae Orphei cantum auribus attente percipiunt, partim a Polygnoto[1]), partim ab aliis pictoribus ante eum[2]) inventi sunt. Itaque neque Polignoti Orphei pictura neque vasorum imagines illius quod descripsimus generis ad Aeschyli auctoritatem factae sunt, sed Polygnotus eam ex antiquioribus imaginibus assumptam praestantius atque perfectius pinxit atque eius vestigia presserunt ceteri qui post eum Orpheum pingebant pictores.

Vasis Darei (amphorae Canus.) editi in Arch. Z. 1857 tab. 103 (Monum. dell' Inst. IX tab. 50, 51) imago ex quo fluxerit fonte varie viri docti disputaverunt. Ac Minervinius[3]) quidem ad Aeschyli Persas eam revocat, Jahnius[4]) ad Phrynichi tragoediam. Meo autem iudicio certae cuiusdam fabulae imitatio in hac imagine non agnoscitur, sed quae imprimis animos Graecorum illius aetatis movebant in hac pictura egregie referuntur. Atque his sensibus et cogitationibus, quae praecipue ex operibus et poetarum et scriptorum pedestrium in medullas ac viscera Graecorum penetraverant, etiam artifices ut imaginibus ea celebrarent impulsi sunt. Recte igitur Curtius[5]) de hoc vase disputans ex Herodoteo opere sententias iis similes quae illa imagine expressae sint promi posse iudicat. Ita enim dicit[6]): „Die Verbindung des Sinnlichen und Uebersinnlichen, des Historischen und Mythischen, die besonders merkwürdig ist (sc. im Vasenbilde), geht auch durch das ganze Geschichtswerk des Herodot." At Dolum a vasis huius pictore ex Aeschyli Persis deductum esse dicunt[7]). Nam et poetam dicere Dolum Persis interitum parare et in imagine consultorem esse Asiae. At Doli figura animos hominum occaecantes iisque perniciem molientis iam saeculo V pingebatur a pictoribus et tabularum et vasorum[8]). Quae cum

[1]) Furtwaengler, l. c. p. 161. [2]) Furtwaengler, l. c. p. 163 ann. 29. [3]) Bull. arch. N. 1854 No. 43 p. 129, No. 48 p. 69. [4]) Arch. Z. 1860 p. 41 sq. [5]) Arch. Z. 1857 p. 109 sqq. [6]) l. c. p. 116. [7]) cfr. v. 105 sqq. [8]) cfr. Jahrb. 1887 p. 178; Mon. inéd. p. la section française ... tab. 21.

ita sint, veri est simillimum clarum aliquem artificem illa materia ita comparata usum exemplar artis maioris perfecisse. Id vero huius vasis pictor, ut mos erat artificum qui in Magna Graecia amphoras picturis ornabant, accurate initatus est. In eadem sententia Koeppius est[1]). Hic vir doctus de imaginibus quae Alexandri pugnae vocantur[2]) disputans has Persarum pugnas esse affirmat easque cum Darei vasis pictura conectit, recte opinans utraque effigie duo opera maiora saeculo V orta quae sibi opposita fuissent a vasorum pictoribus reddita esse.

Vas Duridis editum in Monum. dell' Instit. VIII, 41, in quo contentio est picta quae de armis Achilleis inter Aiacem et Ulixem erat, Kleinio[3]) ab Aeschyli fabula quae *ὅπλων κρίσις* inscripta erat dependere visum est. Sed cum haec res iam in vasis nigris figuris ornatis picta sit atque huius vasis effigies ad artem severiorem pertineat, Kleinium errare manifestum est. Verum ex alio fonte haec imago ducta est. Est enim contentio in ea picta omnium praeclarissima, neque immerito Robertus[4]) hoc dicit de ea: „Sie repraesentiert uns die weitaus gluecklichste und charakteristischste Auffassung des Vorganges, mit ihr hat der Typus den Hoehepunkt erreicht." Quod cum Duemmler bene intellegeret atque omnibus Duridis picturis inter se collatis cognosceret non omnes, sed certas eius imagines, quarum in numero haec esset, tam egregie esse pictas, hac imagine opus artis maioris expressum[5]) esse recte mihi videtur opinatus esse.

Deinceps dicatur de Orestis imaginibus quae ad Aeschylum relatae sunt.

In priore Eumenidum fabulae parte Orestes inducitur in omphalo templi Delphici sedens, in manibus tenens gladium strictum et olivae ramum vittis ornatum[6]). Simile pictores in vasis pinxerunt. Hae autem imagines cum exeunte saeculo V vel initio saeculi IV pingi coeptae esse et propter actionem

---

[1]) Arch. Anz. 1892 p. 127 sqq. [2]) Heydemann, 8 Winckelmp. Halle 1883. [3]) Euphronios p. 238. [4]) Bild und Lied p. 216. [5]) Bonner Studien p. 86, 90. [6]) v. 40 sq.

personarumque vestimenta ea quae in scanea acta essent praebere existimarentur, ad Aeschyli Eumenidas revocatae sunt[1]).

Quod num verum sit ut cognoscamus, vasorum imagines cum Aeschyli rei descriptione conferamus.

Primo loco tractemus hydriae effigiem in Furtwaengleri catalogo[2]) descriptam et optime depictam in Arch. Z. 1884 tab. XIII. Ea artis pulchrae generis est. Atque cum hanc artem iam ante medium saeculum V floruisse ex novo vasorum qui nunc constat temporis ordine appareat, hoc vas non exeunte saeculo V, sed eodem fere tempore pictum est quo Eumenides datae sunt. Attamen non congruit haec imago cum Aeschyli narratione. In huius enim vasis imagine Orestes in acervo ex lapidibus facto genu sinistrum ponit. Dextra manu gladium strictum tenet, laeva in chlamydem involuta est, ut se defendat Orestes a Furiis quae aggrediuntur eum terrentes anguibus, quos crinibus et manibus implexos portant. A parte sinistra Apollo et Diana picti sunt. Hac igitur imagine eadem res plane alio modo atque in Aeschyli fabula repraesentatur. Sed quod gravissimum est, singulas figuras ex artificum monumentis a pictore, non ex poetae descriptione repetitas esse facile demonstrari potest. Idem enim habitus Orestis in aliis quidem personis in quas impetus fit adhibitus iam in vasis rubris figuris severiore modo ornatis[3]) invenitur, idemque permansit in vasis et generis liberioris[4]) et pulchri[5]) et in Magna Graecia[6]) pictis.

Tum vero Eumenides huius imaginis ab Aeschyli descriptione prorsus discrepant, quae tamen eo magis inter se similes esse debebant quod hac effigie Aeschyti narrationem accurate esse expressam putant[7]). Nam cum ab Aeschylo Eumenides cum Gorgonibus et Harpyis conferantur atque aspectu tam terribiles

---

[1]) Wernicke l. c. p. 199 sqq.; Arndt l. c.; Reisch, Fuehrer durch die oeffentl. Sammlungen p. 264 No. 117. [2]) No. 2380. [3]) Overbeck, kunstmyth. Atlas tab. VII, 10; Monum. Annali 1856 tab. X; The Journal of Hellen. st. 9 tab. VI. [4]) Overbeck, l. c. tab. VII, 13; Compte-Rendu 1868 tab. VI. [5]) Gerhard, Trinkschalen II, III. [6]) Mus. Borb. XVI, 11. [7]) Arndt, l. c.

tradantur ut spectatoribus summum terrorem incusserint[1]), in hac pictura pulchrae sunt feminae, indutae altera brevi chitone, altera longa veste. Earum Furiarum natura tantummodo ex eo intelligitur quod cum Oreste coniunctae apparent. Quod nisi esset, Bacchas eas haberes. Atque meo iure contendere videor huius vasis pictorem in Eumenidibus pingendis Baccharum typos imitatum esse. Compara enim, quaeso, has Furias cum Bacchis ab Olto et Brygo pictis[2]). Quid? quod Aeschylus non primus Orestem in templum Delphicum confugisse narravit, sed ante eum Stesichorum id narrasse constat[3]). Quo autem modo hic poeta eam fabulam finxerit, quamvis memoriae traditum non sit, tamen Wernickeus neglegere non debuit antiquis temporibus eam ignotam non fuisse.

Neque magis recte duo alia vasa saeculo IV in Magna Graecia orta: Raoul-Rochette, monum inéd. tab. 38, ibid. tab. 35. (Overbeck, H. G. t. 29, 4) cum hac Aeschyli tragoedia conectere viri docti[4]) studuerunt. Neque enim quidquam in iis quod Aeschyli descriptionis proprium sit pictum est, sed personae quae primas partes agunt similiter repraesentatae sunt antiquissimo illi vasis imagini. Atque Oresti, Apollini, Furiis etiam aliae personae additae sunt, quas addere pictoribus et licebat et mos erat. In vase altero praeterea duae feminae e templo fugientes imprimis oculos in se convertunt, quarum unam Rochetteus Clytemestrae umbram esse contendit ex Aeschyli fabula repetitam. Hoc falsum est. Neque enim Clytemestrae umbram Orestis et Furiarum adventu perterritam ex templo fugientem, sed Furias e somno suscitantem Aeschylus induxit. Quod Apollo manu dextra porrecta Furiam alatam proruentem intrare templum vetans pictus est, omnino non ad hos Aeschyli versus spectat (v. 177, 78):

„ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτ᾽, ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν.“

---

[1]) Eumenidum v. 51 sq., *Αἰσχύλου βίος.* [2]) Paul Hartwig, die griech. Meistersch. tab. VII, XXXII u. III. [3]) Bergk, Poetae lyrici III, p. 219 sqq. [4]) Wernicke, l. c. p. 203; Raoul-Rochette l. c. p. 193.

Nam his verbis Furiae quae aliquamdiu in templo versatae sunt ab Apolline depelluntur.

Sed duorum aliorum vasorum imagines item quidem, sed temporibus posterioribus in Magna Graecia factae, in quibus eadem res atque in superioribus picta est, utique cum Aeschyli fabula quodammodo videntur iungendae, cum in iis nonnulla cernantur quae ex sola fabula Aeschylea scimus.

In unius enim vasis effigie edita in Stephanii C. R. 1863 t. VI, 5 circum Orestem iuxta omphalum sedentem Furiae in terra dormientes conspiciuntur. Attamen hoc non prorsus Aeschyli versui 47 respondet; nam hic Furiae in sellis dormire narrantur. Neque haec res ea dubitatione caret num Furiae ab Aeschylo primo ita positae sint; memores enim esse debemus Stesichori, in cuius Orestia[1]) idem narratum esse putare non ineptum est.

Sed dubitatio locum non habet in alterius vasis imagine edita in Monum. dell' Institut. IV, 48 (in Overbeckii, l. c. tab. 29, 7), ubi Clytemestrae umbram quae Furias dormientes expergefaciat ex Aeschyli tragoedia a pictore sumptam esse apparet. Quod mirum non est, cum eius aetatis vasorum pictores persaepe tragoedias expresserint. Neque tamen quae in scaena agebantur accurate imitabantur, sed, ut ex his duobus picturis cognoscitur, ex ingenio suo nonnulla addebant vel omittebant.

Sequitur Pentheus. Amglyphi Caleni e ceramo facti editi in Arch. Z. 1874 tab. VII, 3 effigies, in qua Penthei mors ficta est, Diltheyio ad Aeschyli Xantrias pertinere visa est.[2])
Quod num verum sit videamus.

In hac imagine Pentheus humi iacet, ita ut sinistro genu nitatur et dextrum a latere porrigat. Manu sinistra clipeum tenet, dextra gladium strictum tollit quo pantheram in se proruentem feriat. Ex transverso femina thyrso iacentem adoritur.

---

[1]) Bergk, l. c. [2]) Arch. Z. 1874, p. 89.

De Xantriis Aeschylea, qua fabula sors infelicis Penthei tractata est, paene nihil compertum habemus nisi quod exiguis fragmentis servatum est. Horum in uno de *κεντήματι Λύσσης* agitur. Quod cum Diltheyius respiceret, Jahnii sententiam[1]), qui omnia artium monumenta Penthei sortem continentia ex dramate petita esse dicit, secutus feminam in hac imagine fictam *Λύσσαν* esse demonstrare studuit atque hanc imaginem ad Aeschyli fabulam alludere contendit. Sed in hae re vir ille doctus errat. Nam Feminam non Furorem, sed Baccham esse et ex thyrso quem habet et ex panthera facile cognoscitur[2]) Deinde Penthei habitu Penthei simili iam in aliis artis operibus pictores usi sunt, id quod demonstravimus quo loco de Orestis habitu diximus. Denique et quod Jahnius in universum de Penthei artium monumentis dicit et quod Diltheyius de hoc anaglypho sentit prorsus eo reicitur quod iam ante Aeschylum in vase rubris figuris severiore modo ornata Bacchae Pentheum lacerantes pictae sunt.[3])

Ex imaginum quae Prometheum vinctum repraesentare putantur numero tractabo unam eamque in scarabaeo saeculi V fictam, depictam in Arch. Z. 1885 p. 223, quam cum Aeschyli Prometheo Vincto plane convenire Furtwaengler dicit.

Atque Aeschylus quidem duos gigantes, *Κράτος* et *Βίαν*, Iovis iussu Prometheum ad Caucasum, ubi affigatur a Vulcano, transportare narrat. Quod quamquam Vulcanus aegre fert, tamen obtemperat munusque ut iussus est exsequitur. Haec enim eius sunt verba (v. 18 sqq.):

τῆς ὀρθοβούλου Θέμιδος αἰπυμῆτα παῖ
ἄκοντα σ᾽ ἄκων δυσκλύτοις χαλκεύμασι
προς πασσαλεύσω τῷδ᾽ ἀπανθρώπῳ τόπῳ.

(v. 32): *ἀνθ᾽ ὧν ἀτερπῆ τήνδε φρουρήσεις πέτραν*
ὀρθοστάδην, ἄυπνος, οὐ κάμπτων γόνυ.

---

[1]) Pentheus und die Maenaden 1841 p. 7. [2]) Koerte, Personificationen psych. Affecte p. 44. [3]) Hartwig, Jahrbuch 1892 tab. V.

Ac primum quidem brachia affiguntur (v. 60, 61):

ΗΦ: ἄραρεν ἥδε γ' ὠλένη δυσεκλύτως
Κ: καὶ τήνδε νῦν πόρπασον ἀσφαλῶς

Deinde per pectus clavus figitur (v. 64, 65):

ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον
στέρνων διαμπὰξ πασσάλευ' ἐρρωμένως.

Postremo cruribus vincula imponuntur (v. 74):

χώρει κάτω, σκέλη δὲ κίρκωσον βίᾳ.

In scarabaeo vir ingenti corporis magnitudine capillis horrentibus conspicitur, qui pedem dextrum paulum tollit, sinistro solum premit. Crus sinistrum compedibus vinctum est, a quibus catena usque ad aurem sinistram pertinet. In manu dextra baculum habet, quo, ut mihi videtur, pedem dextrum sublevare studet. Brachium sinistrum vir alter barbatus, cuius capiti pileus impositus est, comprehendit.

Quas duas repraesentationes si comparaveris, facile cognosces eas inter se discrepare. Hac enim in imagine *Κράτος* et *Βία* desunt. Quod Furtwaengler, cum eos Vulcani ministros appellet, parvi momenti esse putat. Hoc si verum esset, artifex eos lapidis exiguitate semel coactus non temere omisisset neque nimium ab Aeschyli descriptione dissensisset. Sed ex eo quod poeta de munere *Κράτους* et *Βίας* dicit clare apparet hos gigantes non esse ministros Vulcani, sed tamquam dominos, quippe qui deo imperent [1]) atque cum invitum reum affigentem eum videant, etiam minitentur [2]). Qua de causa fieri non potuit ut artifex qui Aeschyli descriptionem accurate exprimere vellet eos neglegeret. Iam vero aqud Aeschylum utrique cruri, in imagine sinistro soli vincula imposita sunt. Id quidem Furtwaengler vidit, sed nihil ad rem ipsam ei videtur attinere. Catenam vero, ex qua virum illum Prometheum esse *δεσμώτην* cognovit, Aeschylus nusquam commemorat. Ac ne baculum quidem, quod in scarabaeo gestat, Prometheus apud Aeschylum habet. Quod Furtwaengler sceptrum id esse contendit quo

[1]) v. 53, 55, 56; v. 58; v. 61; v. 71; 73, 74; 76. [2]) v. 53, 68.

Promethei dignitas quam ei poeta tribuat designetur, errare mihi videtur. Nam manifesto pedem alterum vir ille baculo adiuvat. Denique vir alter brachium Promethei qui dicitur non prehendit, ut constringat, sed ut sublevet. Nam si brachium affigendum esset, spatium deesset. Accedit quod instrumenta Vulcani, imprimis malleus, desiderantur. Itaque haec imago Aeschylei quidem Promethei Vincti descriptioni nullo modo respondet, quin etiam dubitare licet num omnino ad Prometheum referri debeat.

Supersedeo de artis operibus ad saecula ultima pertinentibus disputare. Neque tamen picturam Pompeianam editam in Arch. Z. 1883, tab. IX 1 omittam quae a Roberto cum Aeschyli Choephororum fabula conexa est.[1]) Cui imagini permultis virorum doctorum coniecturis temptatae[2]) illud Plinianum „ab Oreste matrem interfici" subscribi posse Robertus dicit; refert autem eam ad hos Choeph. versus (889 sqq.):

ΚΛ: *ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον*
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισι ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.
ΟΡ: *Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν;*

Apud Aeschylum quidem, postquam Aegisthus in domo Agamemnonis interfectus est, Clytemestra a servo advocata in scaenam accurrit. In hoc puncto temporis Orestes quoque in scaenam prodiens Clytemestram sectatur his verbis: „*σὲ καὶ ματεύω*", eam interfecturus. Quod ne faciat mater filium precibus adit quas supra transscripsimus. Tum Orestes haesitans Pyladem interrogat: *Πυλάδη, τί δράσω;*

In imagine femina genibus flexis picta est sinistra manu pectus premens et dextram porrigens ad iuvenem qui gladio stricto eam videtur occisurus esse. Has personas Robertus Clytemestram et Orestem intellegit. Hoc ita se haberet, nisi reliqua obstarent. A tergo enim Orestis qui vocatur post parietem — locus enim, ubi hic cum matre est, pariete seiunctus

---

[1]) Arch. Z. 1883 p. 260. [2]) cfr. Kalkmann, Arch. Z. 1883 p. 131 sqq.

est — persona apparet, cuius caput et brachium dextrum porrectum videmus; qua persona et virum et feminam significari posse Robertus ipse concedit. Hanc personam, si vir sit, Robertus Pyladem ex quo Orestes precibus matris commotus quid faciendum sit quaerat appellare velit. Sed in hac interpretatione mirum est quod qui interrogatur a tergo eius qui interrogat stat; qua in re Robertus nescio quo pacto non offendit. Hanc personam, si femina sit, Robertus Electram esse velit. Tum prorsus abhorret haec effigies ab Aeschyli descriptione. Neque enim Electra, dum Orestes matrem interfecturus est, apud Aeschylum in scaena est. Denique vero altera figura huius imaginis post alteram parietis partem Oresti qui dicitur brachia opponens nullo modo ex Aeschyli fabula explicari potest.

Iam igitur constat ad illos Choephororum versus hoc artis monumentum non spectare.

B. Imagines quae ex Aeschyli fabulis satyricis pendere putantur tractabo.

Roberti sententiam qua fabulas satyricas[1]) poetarum scaenicorum ad artem saeculi V pertinuisse affirmavit permulti viri docti secuti[2]) ad Aeschyli satyros vasorum aliquot imagines referendas esse censuerunt. Quod num recte fieri possit quaeramus.

Incipiamus ab imaginibus ad Aeschyli Sphingem relatis.

Primo in loco trullam nigris figuris ornatam sublito albo colore pono, editam in Arch. Z. 1885 tab. VII, 2, in cuius imagine sphinx quadrupes ingenti magnitudine mammis pendentibus feminae appropinquat, quae digitos unguibus longis instructos contra sphingem protendit. Hanc picturam comicam esse atque cum Aeschyli Sphinge cohaerere Mayer[3]) affirmat.

Plane aliam speciem praebet imago calicis rubris figuris severiore modo picti editi in Mus. Gregor. II, 84, 1, eandemque

[1]) Bild und Lied p. 28. [2]) Mayer, Arch. Z. 1885 p. 122 ann. 3; Marx, Roem. Mitth. 1886, I p. 251 ann. 1; Duemmler, Rhein. Mus. 1888 p. 358 sqq.; Reisch, l. c. p. 288; Studniczka, Jahrbuch 1891 p. 260. [3]) l. c.

ab Aeschyli fabula pendere Duemmler et Reischius[1]) contenderunt.

Duabus picturis hic calix ornatus est. In solo enim vasis sphinx in columella sedens picta est, ex cuius ore verba „*καὶ τρία*“ profluunt.

Ante eam in sella Oedipus sedet sphingem aspiciens. In superficie vasis multos satyros conspicimus, quorum alius puerum verberat, alius amphoram auri sinistrae impositam tenet, alius tibiis canit, alius adversus hunc dextra in capite posita caput resupinat, alius corporis membra huc et illuc torquens saltat, alius amphoram dextram et cornu sinistra portans accelerat.

Denique tertiam affero imaginem editam in Mon. dell' Inst. II, 55, quam Marxius[2]) cum hac eadem fabula coniungit. Neque tamen haec pictura superioribus ullo modo similis est. Hic enim sphingis in solo sedentis caput radiis circumdatum est. Ex altera parte iuvenis eam effugere videtur fugiensque lapidem in eam acturus est. Ex altera parte iuvenis sinistra manu corporis latus premens quietus sphingem intuetur.

Quas imagines, cum prorsus inter se discrepent, evidenter apparet non posse referri ad unam fabulam, cuius insuper nihil nobis nisi duo fragmenta tradita sunt, sed concludere oportet artifices quae de sphinge narrabantur non ignorantes, ea ex suo ingenio atque arbitrio imaginibus expressisse non secutos certam narrationem. Hoc etiam aliis duabus picturis evincitur, quae quamquam materiam praebent, tamen inter se dissimillimae sunt et a superioribus plane dissentiunt.

Quod attinet ad effigiem quam altero loco descripsi, Duemmler et Reischius,[3]) dicentes eam cum Aeschyli Sphinge conectere licere iam ob eam causam vehementer errant quod haec imago ab uno ex iis qui Duridem imitati sunt picta est. Duris autem pictor ante annum 480 vigebat atque Aeschyli fabulam anno 467 actam esse constat. Itaque fieri non potest ut Duris Aeschyli Sphingem hac imagine expresserit.

---

[1]) l. c. [2]) l. c. [3]) l. c.

Verum aliunde hanc imaginem pictor petiit. Sphinx enim in columella picta primum artis sepulcralis opus fuisse[1]) atque inde a vasorum pictoribus deducta esse mihi videtur.

Mos enim erat eam in columellis quae ad sepulcra stabant ponere.[2]) Etiam in lecythis qui usui sepulcrali erant eam ita expressam invenimus.[3])

Vas Brygi editum in Monum. dell' Instit. IX, 46, in cuius effigie impetus a satyris in Iunonem et Iridem fit, ab Aeschyli satyro pendere Duemmler[4]) contendit. Quod verum mihi non videtur. Nam simile iam in Iliade est. Petersenus[5]) enim tres imagines, in quibus cum centauri tum satyri Iridem aggrediuntur, cum Iliad. XXIII, 201 sqq. confert sibique persuasit hoc quoque loco in Iridem a Calai et Zeta impetum fieri qui quamquam aliae personae, tamen eiusdem generis atque centauri et satyri sint. Ceterum idem quod Iridi nymphis persaepe accidit, idque iam ex vasorum imaginibus nigris figuris pictis cognoscitur.[6]) Itaque nulla res neque cogit neque suadet, ut Aeschylum huius rei fuisse inventorem credamus.

Huc pertinet vas a Studniczka in annalibus (Jahrbuch) 1891 p. 260 editum. Eius imaginem, quae nominatur Mercurii in sacrificando fraudes, vir ille doctus ad Aeschyli *Κήρυκας* revocat. Sed cum huius fabulae praeter verba nonnulla nihil servatum sit, illa coniectura mihi non probatur. Atque mea sententia huius imaginis, in qua Mercurius canem pelle suis obvolutum ad sacrificium agens pictus est, non poeta scaenicus auctor exstitit, sed aliquis scurrarum Atheniensium hanc rem facete videtur excogitasse.

Ex his imaginibus comicis et facetis nullam esse quae ex Aeschyli satyris petita sit ex re ipsa quam pictam exhibent satis apparet. Accedit quod imagines huius generis eodem

---

[1]) cfr. Benndorf, Griech. u. Sicil. Vasenbilder p. 39. [2]) Annali 1844 p. 150. [3]) Benndorf, l. c. tab. XIX; Stackelberg, Graeber der Hellenen tab. XXXVII. [4]) l. c. [5]) Arch.-epigraph. Mitth. aus Oesterreich IX p. 85. [6]) Monum. dell' Instit. X tab. VIII.

modo quo aliae picturae eodem tempore ortae pictae sunt. Profecto enim, si pictores ea quae in scaena agebantur reddere voluissent, figuris personas et vestimenta scaenica quibus magis comicae apparerent induissent. Praetera ex eo quod satyri in his imaginibus picti inveniuntur non efficitur pictores fabulae satyricae cuiusdam actiones exprimere voluisse, sed satyri persaepe naturam loci in quo res agitur significant[1]). Licet nonnulla ex repraesentationibus scaenicis ut phallus, subligaculum prompta videantur[2]), tamen iis imaginibus artifices secutos esse satyros demonstrari non potest. Attamen hae imagines ad fontem quendam revocandae sunt. Et est unde pictoribus imagines comicas praecipue repetere licuerit; nam Atheniensium vitae usum attentius contemplantes ex iis quae in foro, in ludis, in pompis facete et ridicule fiebant materiam idoneam[3]) facile parare potuerunt. Atque iam in vasis nigris figuris pictis picturae exstant quae, si per artis genus in iis adhibitum liceret, ad satyros vel ad comoedias certe relatae essent[4]).

Hac disputationis parte redarguisse mihi videor eam sententiam qua Aeschyli fabulae ad vasorum imagines pingendas saeculi V potissimum vim habuisse putantur. Etenim viri docti qui ab Aeschyli fabulis effigies saeculo V pictas pendere affirmaverunt non intellexisse videntur vasorum pictores, cum non tanto ingenio essent ut novas imagines vasis ornandis excogitarent, imprimis artis maioris opera imitatos esse nec nisi in minutiis vel addendis vel omittendis suo ingenio indulsisse. Atque qui maiores picturas fecerunt, eos operum suorum materiam

---

[1]) Monum. dell' Inst. II, LV; Brönsted, Den Ficoroniske Cista tab. 2 B. [2]) F. Wieseler, Theatergebäude und Denkmaeler des Buehnenwesens bei den Griechen und Roemern 1851 tab. VI. [3]) Holwerda, Jahrbuch 1889 p. 25 sqq. [4]) Gerhard, Trinksch. u. Gefaesse tab. XXX, 1 Journal of Hell. stud. I tab. XIV. Hic libellus iam typis mandabatur, cum in manus mihi venit Poppelreuteri commentatio (de comm. attic. primordiis, Halle 1893), in qua hae imagines ad satyros referuntur. Itaque huius viri docti sententiam, quamquam non probo, reicere necessitate coactus supersedeo.

ex fabulis vulgatis et carminibus epicis sumpsisse constat[1]), neque tamen ex tragoediis. Neque omnino ante saeculi V finem vel potius initium saeculi IV quarti fabulae poetarum scaenicorum a magnis pictoribus exprimi coeptae sunt[2]). Quod cum fieret, statim vasorum pictores, imprimis ii qui in Magna Graecia erant secuti sunt, id quod argumento est artis maioris exemplaria eos reddere solitos esse.

Praeterea iam saeculi V initio permultae fabulae in Attica ipsa ortae vulgo narrabantur[3]) veluti de Theseo, de Aurora et Cephalo, quibus vasorum quidem pictores, sed non poetae scaenici usi sunt. Atque etiam ex aliis regionibus novae in Atticam pervenerunt ut Penthei, Orphei, aliorum, quae eodem tempore pingebantur. Itaque pictores ad spectacula scaenica confugere coacti non erant; quod eo minus accidit quod perraro, idque diebus festis maioribus, fabulae eaeque permultae dabantur, ita ut non diu singula in mentibus spectantium et audientium inhaererent, praesertim cum fabulae, postquam in scaena actae sunt, descriptae ab Atheniensibus non legerentur[4]).

Iam vero singularum personarum status et habitus non ad scaenae exemplum facti, sed ex arte ipsa eaque maiore videntur deducti esse. Magni enim pictores novos typos quos in imaginibus adhiberent excogitaverunt eosque vasorum pictores receperunt. Itemque factum videtur esse ut hi quos typos susceperant ad maiorem perfectionem perducerent atque, cum res poscebat, mutarent, ut cum iis quae pingere in animo habebant convenirent. Quos typos constitutos etiam ad similes actiones applicabant.

Deinde in vasis saeculi V non universae fabulae ut in vasis nigris figuris ornatis, sed eae res quae maxime agebantur ex iis electae accurate et presse pingebantur.[5]) Causa autem cur hoc factum sit non in eo vertitur quod pictores repraesen-

---

[1]) Pausanias X, c. XXV sqq.; Brunn, Kuenstlergesch. II p. 37; Benndorf, Heroon von Gjoelbaschi-Trysa p. 249; Robert, 15 Winckelmpr. p. 80. [2]) Robert, Bild und Lied p. 28. [3]) Robert, l. c. p. 32 sqq. [4]) Klein, l. c. p. 238. [5]) Robert, Bild und Lied p. 28 sqq.

tationes scaenicas respexerant, sed partim quod ars ipsa progressa erat, partim quod forma vasorum quae eo tempore minora et habiliora adhibebantur id flagitaverat.

Atque postea quidem, cum pictores fabulas a poetis scaenicis tractatas imitati essent, etiam aliquid ex Aeschyli tragoediis, idque ex una eius Eumenidibus fabula in imagines in Magna Graecia ortas videtur fluxisse. Nam Furiae circum Orestem in omphalo sedentem somno oppressae et ab umbra Clytemestrae expergefactae ex una illa fabula Aeschylea nobis notae sunt.

II.

Altera disputationis parte operam dabimus, ut ostendamus Aeschylum ipsum artes effectivas respexisse imaginibus describendis commemorandisve atque iis usum esse in scaena adornanda et in fabulis ipsis agendis.

Ac primum quidem Aeschyli fabulas perquiramus, ut iis artificum operibus quae poeta accuratius descripsit vel tantum tetigit collectis videamus num ea artis quae ante Aeschylum et Aeschyli aetate floruit opera sint.

Initio Eumenidum fabulae sacerdos Eumenidum aspectu in templo Apollinis Delphici versantium perterrita in scaenam recurrit atque spectantibus quae vidit enarrat: circum virum in omphalo sedentem feminas in sellis sedentes prostratas esse[1]) similes Gorgonibus[2]) vel Harpyis quas cibos Phinei rapientes pictas vidisset[3]). Cuius rei effigies etiam nobis ex arte antiquissima notae sunt. Harum praestantissima in vase archaico Aeginae invento[4]) picta est, in cuius altera parte Harpyiae Phinei cibos rapientes, in altera Gorgones fugientes Perseum agnoscuntur.

Alteram picturam in Agamemnone fabula poeta, ut eorum qui audiunt animos moveat, proponit[5]). Agamemnon enim, ut

[1]) v. 40—47. [2]) v. 48. [3]) v. 50, 51. [4]) Flasch, Arch. Z. 1880 p. 139; Arch. Z. 1882 t. 9. [5]) v. 215—230.

Dianae iram placet, Iphigeniam filiam Calchantis vatis iussu ministris immolandam tradit, qui virginem vestibus quae humi ceciderunt nudatam ore eius clauso, ne sacrificantes detestetur, in ara collocaturi sunt. Virgo cum loqui non possit, in ministros oculos vertit, quorum *βέλει φιλοίκτῳ*, ut poeta dicit, ministros, ut vitae suae parcant, commovere studet. Ad hanc descriptionem cum poeta verba *πρέπουσα θ᾽ ὡς ἐν γραφαῖς* addat, recte videtur concludi illum hoc sacrificium descripsisse ad exemplar picturae quae idem praeberet. Quod eo verisimilius fit, si hanc Aeschyli descriptionem [1]) cum descriptione [2]) picturae Polyxenae immolandae quae carmine Polliano continetur conferimus. Item enim loquitur Pollianus de vestibus quae humi ceciderint et de vultu quo dolor virginis exprimatur et desiderium salutis. Cuius imaginis auctor a Polliano Polycletus appellatur. Quod quidem Brunnius [3]) reiecit atque a Polygnoto eam effigiem perfectam esse demonstrasse mihi videtur. Itaque cum Polygnotus, ut infra ostendam, iam anno 470 Athenis viguerit, meo iure affirmare videor Aeschylum, cuius Agamemnon fabula anno 458 docta est, hanc Polygnoti tabulam pictam in Iphigeniae sacrificio illustrando respexisse.

---

[1]) v. 215 sqq.: *ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς*
. . . .
δίκαν χιμαίρας ὕπερθε βωμοῦ
πέπλοισι περιπετῆ. . . . .
. . . .
. . . .
κρόκου βαφὰς δ᾽ ἐς πέδον χέουσα
ἔβαλλ᾽ ἕκαστον θυτήρων
ἀπ᾽ ὄμματος βέλει φιλοίκτῳ
πρέπουσα θ᾽ ὡς ἐν γραφαῖς . . . .

[2]) *Ἄδε . . . Πολύξενα*, ...
. . . .
. . . . *ἴδ᾽ ὡς πέπλοιο ῥαγέντος*
Τὰν αἰδῶ γυμνὰν σώφρονι κρύπτε πέπλῳ
Λίσσεται ἁ τλάμων ψυχᾶς ὕπερ· ἐν βλεφάροις δέ
Παρθενικᾶς ὁ Φρυγῶν κεῖται ὅλος πόλεμος.

[3]) l. c. 2a p. 25.

In universum de imaginibus quae in lacunaribus pingebantur poetam loqui ex fragmento 138 intelligitur, ubi vox ἐγκουράδι servata est. Hoc verbo tabulam in lacunari pictam significari Hesychius[1]) exponit.

Neque minus statuarum venustatem Aechylus praedicat, eas εὐμόρφους appellans atque χάριτι ornatas esse dicens.[2])

Deinde permultae imagines, quibus clipei ornati sunt, ab Aeschylo depinguntur, quales eum ipsum vidisse perfacile demonstrari potest.

Primo loco commemoro γρυπαίετον, cuius bestiae ex leone et aquila mixtae repraesentatio in Oriente nata est et inde in Graeciam pervenit. Hunc ab Aeschylo clipeorum ornamenti loco allatum esse ex Aristophanis Ranis apparet.[3]) Atque cum talem effigiem vasis archaici in anaglyphorum modum factam[4]) et duas alias vasorum nigris figuris ornatorum[5]) noverimus, manifestum est Aeschylo quoque et tales et similes occurrisse.

Iam vero maiora simulacra in clipeis facta cognoscimus ex Aeschyli fabula quae Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας inscribitur. Heroes enim Argivi qui duce Polynice ad Thebas oppugnandas profecti sunt insignes erant armorum ornatu, inter quae maxime clipei praestantissimis simulacris praediti sunt.

Incipiamus a simulacro in Tydei clipeo facto. In hoc — ita enim nuntius Eteocli, regi Thebanorum, enarrat — caelum nocturnum exsculptum fuit, in quo medio luna plena circumque eam stellae fulgebant.[6])

Alia simulacra in hac describenda effigie Aeschylum respicere potuisse inde sequitur quod artis antiquissimae tales repraesentationes caeli stellis ornati adhuc servatae sunt quarum praestantissimae sunt sunt anuli aurei Mycenis[7]) inventi et

---

[1]) 2 p. 9, 525; itaque Plinius (Historia natural. XXXV, 147) errat, affirmans Pausiam, qui anno 350 vixit, primum lacunaria pinxisse. [2]) Agamemnon, v. 400—403. [3]) v. 927, 28. [4]) Furtwaengler, Vasensammlung No. 1701. [5]) Jahn, Vasensammlung No. 545, 881; Roscher, Lex. I, 1762. [6]) v. 370—373; 383, 84. [7]) Milchhoefer, Anfaenge der Kunst p. 35.

cylindrorum Assyricorum.[1]) Praeterea in vasorum imaginibus ante Aeschylum heroes picti sunt tenentes clipeos, in quibus lunae[2]) et stellae[3]) conspiciuntur.

Aliam effigiem Capanei clipeus continet. Vir enim nudus ardentem facem praeferens verbis aureis ex ore profluentibus exclamat urbem se combusturum esse.[4])

Hoc clipei simulacro non in universum virum taedam ferentem, sed Capaneum ipsum significare voluisse mihi poeta videtur. Quod Schmidtius[5]) virum Furorem dicit errat, nam Furorem Graeci feminimi generis putabant et *Λύσσαν* appellabant; ac persaepe in vasorum picturis femina *Λύσσαν* designat.[6])

Deinde imago clipei Eteocli describitur: Armatus pugnator scalis in turrim arcis hostium ascendens vociferatur ne Martem quidem se reiecturum esse.[7])

Viri in turrim ascendentis effigiem artifices saepe pinxerunt. Eandem fuisse Polygnoti imaginem Plinius[8]) his verbis tradit: „huius (sc. Polygnoti) est tabula in porticu Pompei quae ante curiam eius erat, in qua dubitatur an ascendentem cum clipeo pinxerit an descendentem.“ Quae imago Polygnoti et Aeschyli descriptio ad prius artis exemplar spectant. Praebet enim illum virum in scalis stantem patera argentea, in cuius orbe externo vir ille urbem oppugnans caelatus est.[9])

Quae clipeorum duorum imagines sequuntur, altera in clipeo Hippomedontis herois Argivi, altera in clipeo Hyperbii Thebani facta, eae ita sunt electae a poeta ut vel ex iis ardor atque animus hostilis heroum qui contra se pugnaturi sunt appareret: In scuto enim Hippomedontis Typhon ore fumum nigrum exhalans fictus erat serpentibus circumdatus,[10]) cum Hyperbii clipeus

---

[1]) Brunn, Kunstgeschichte p. 78. [2]) Jahn, l. c. No. 476, 545. [3]) Jahn, l. c. No. 89, 112, 119, 154, 581, 1351, 1363; Stephani, Vasensammlung 31, 32, 40, 50; Furtwaengler, l. c. 1672, 1704, 1708, 1795, 1797, 1800, 2294. [4]) v. 415—417. [5]) De clipeorum insignibus quae in Septem . . . . 1870 p. 7. [6]) cfr. Koerte, l. c. p. 18 sq. [7]) v. 448—451; cfr. v. 461 et quod scholiasta ad hunc versum annotat. [8]) l. c. XXXV, 59. [9]) Cesnola, Cypern tab. 51. [10]) 474—479.

Iovis *σταδαίου* fulgur manu tenentis effigiem [1]) contineret. Quas imagines si cum vasis nigris figuris ornati pictura [2]) comparaveris, inter se simillimas esse facile cognosces. Conspicimus enim hic Typhonem alis et pedibus anguineis instructum, in quem Iuppiter magno passu invehitur, fulmine eum necaturus. Hic Iovis status convenit cum illa Aeschyli voce *σταδαῖος*. Hesychius enim *σταδαῖα* verbis *ἑστηκότα ὄρθια* explicat. Pugnator igitur *σταδαῖος* stat, sed ut firme stet, cum hoste congressurus longe egredi et genua flectere eum necesse est, id quod nostro sermone dicimus „Ausfallschema". Neque tamen Schmidtius recte contendit Iovem genua ea de causa flectere quod pictor significare voluerit gigantem a Iove summo labore vinci [3]): Cui explicationi vocis *σταδαίου* verba *ἐπ᾽ ἀσπίδος ἧσται* quae sequuntur repugnare videntur, cum qui sedeat non longe egredi possit. Sed hoc loco verbum *ἧσται* notionem sedendi non habet. Recte enim Schmidtius exponit [4]): „Voce *ἧσται* facile nihil aliud significari posse nisi „positus est", „ist angebracht." Typhonem pedibus anguineis instructum esse ab Aeschylo diserte dictum non est, sed id concludi licet ex eo quod poeta de anguibus in summo clipei margine fixis loquitur [5]) et quod scholiasta ad hunc locum annotat: „*τοὺς γηγενεῖς δρακοντόποδας ἔγραφον*". Itaque Typhonis pedes ita esse adhibiti videntur ut scuti margini affixi sint.

Alias Typhonis effigies Overbeckius attulit. [6])

Deinde Parthenopaei Arcadis clipeus sphinge, monstro Thebanis formidolosissimo, virum ungulis rapiente est insignitus. [7])

Sphingem, quae hoc loco *ὠμόσιτος* appellatur, quod homines raptos strangulat, [8]) etiam in artificum operibus ante Aeschylum factis illo munere fungentem videmus. [9])

Postremo loco Polynicis scutum commemoro. Huius

---

[1]) 495, 96. [2]) Gerhard, A. V. tab. 237. [3]) l. c. p. 10. [4]) l. c. [5]) Aeschylus, v. 479, 480. [6]) Griech. Kunstmythologie 2 p. 393; cfr. Zanoni, Scavi della Certosa 1876—84 t. 45, 17; t. 46, 2. [7]) v. 522—527. [8]) Bethe, Thebanische Heldenlieder p. 19. [9]) Athen. Mitth. 1879 p. 56, 57.

scutum continet virum armatum, ductum a Iustitia, dicente reducturam se eum esse et in patrimonium restituturam.[1]

Non satis constat Iustitiam virum ducentem in artium monumentis ante Aeschylum factis vel pictam vel fictam fuisse; attamen et Iustitia ab artificibus ante Aeschylum repraesentata[2]) et *σχῆμα* personae aliam personam ducentis adhibitum est in imaginibus, sed ita ut vir feminam ducat.[3])

Ab hoc loco non alienum est exponere paucis quomodo clipei anaglyphis et inscriptionibus ornati sint atque demonstrare iam ante Aeschylum illum modum fingendi adhibitum esse.[4])

Omnes igitur figurae et inscriptiones in clipeos qui ex aere[5]) ducti sunt sive immissae sive in iis clavis fixae sive ex iis excussae sunt. Qui modi artis fingendi ante Aeschyli aetatem in variis metallis exercebantur ut in ferro, aere, argento, auro.[6]) Immissae autem sunt in clipeos ad eam rem praeparatos luna,[7]) stellae,[8]) syllabae aureae[9]) ab artificibus antea fictae. Cuius artis quam nostro sermone „Tauschierkunst“ appellamus antiquissimum exemplum pugiones Mycenis inventi sunt.[10]) Clavis autem infixae erant figurae viri armati in Polynicis scuto[11]) et sphingis excussae in scuto Parthenopaei,[12]) id quod ex Aeschyli verbis evidenter elucet.

Neque vero quod poeta dicit de stellis lucentibus, taeda et fulgure ardentibus, de fumo nigro, quae in clipeis ficta sunt, ex suo ingenio addidit, sed haec colorum varietas quam scholiasta miratur dicens[13]): „*τῶν παραδόξων ἐν χαλκῷ λαμπρῷ δεῖξαι μέλαν*“ ita efficiebatur ut metalla variorum colorum, prout res postulabat, una immitterentur.[14])

Denique scuta inscriptionibus, sicut Aeschylus tradit, re vera praedita fuisse demonstrant artium monumenta temporum

[1]) v. 626—631. [2]) Pausanias, l. c., V, 18, 2; Nuove Memorie II, 4. [3]) Robert, l. c., p. 56 sqq. [4]) cfr. Roemische Mitth. 1893, 234. [5]) v. 369, 522, 23. [6]) Brunn, l. c. p. 51. [7]) v. 372. [8]) v. 371, 384. [9]) v. 417, 450, 451, 629—632. [10]) Bulletin de Corresp. Hellénique 1886 tab. I, II, III; Brunn, l. c. p. 38. [11]) v. 626. [12]) v. 525; J. Halbherr & P. Orsi, Mus. Ital. vol. II, tab. II, IV. [13]) ad v. 477. [14]) Milchhoefer, l. c. p. 146.

antiquissimorum. Ita memoriae proditum est[1]) ab Onata artifice Idomenei clipeo hoc inscriptum esse:

„πολλὰ μὲν ἄλλα σοφοῦ ποιήματα καὶ τόδ' Ὀνάτα
ἔργον ὃν Αἰγίνῃ γείνατο παῖδα Μίκων."

Praeterea clipei in vasis picti inscribi solebant.[2]) Atque etiam in aliis vasorum imaginibus ante Aeschylum natis totas sententias inscriptas legimus. Cuius rei exempla affero hydriam nigris figuris ornatam, editam in Monum. dell' Instit. II, 49 b, amphoram rubris figuris severiore modo pictam, editam in Mon. dell' Instit. II, 24, eiusdem generis calicem, editum in Ath. Mitth. 1884 T. 1. In his artium monumentis eodem modo quo in clipeis nonnulla verba et totae sententiae ex oribus personarum loquentium proveniunt.

Iam vero ex Aeschyli fabulis cognoscere licet veterum naves figuris imprimis animalium instructas fuisse. In Aeschyli enim frg. 134 et in Aristophanis Ranarum v. 932, 33, ubi de Aeschylo agitur, ξουθὸς ἱππαλεκτρυών navis ornamentum commemoratur. Qua bestia mirifice mixta ex gallo et equo num artifices in navibus exornandis usi sint nobis non notum est, sed scimus alias bestias pictas navibus ornamento fuisse.[3]) Praeterea in vasis ἱππαλεκτρυών pictus invenitur.[4])

Denique figurarum in tapetibus pictarum atque in vestimentis acu pictarum Aeschylus mentionem facit. Tapetum figurae item mixtae cognoscuntur duae, quarum altera τραγέλαφος est, animal compositum ex cervo et capro, altera ἱππαλεκτρυών[5]) quem supra attuli. Porro vestimenta acu picta esse manifestum est et ex fragmento 304, quod Nauckius Aeschylo tribuit, ubi ἔποψ in vestimento militis cuiusdam pictus commemoratur, et ex Choephororum versu 224, quo Orestes vestis suae θήρειον γραφήν Electrae quae eam perfecerit monstrat, ut se agnoscat.

---

[1]) Pausanias V, 25, 10. [2]) Jahn, Vasens. No. 1305. [3]) Jahn, l. c. No. 339; cfr. Hippon. frg. 49 (7). [4]) Heydemann, Gr. Vasenb. tab. VIII, 4. [5]) Aristophanis Ran. v. 937, 38.

Qua in arte ante Aeschylum Acesas et Helicon artifices magnam gloriam adepti erant.[1])

Haec omnia quae modo attuli artium monumenta apparere puto non ingenii robore ab Aeschylo excogitata esse, sed vera artium monumenta fuisse, quae aut ipsa descripsit poeta aut similia describens ascivit, eo scilicet consilio ductus, ut audientibus res clariores redderet eorumque animos caperet atque delectaret.

Quod consilium quo melius exsequeretur, artes ipsas et fingendi et pingendi adhibuit ad scaenam instituendam et exornandam. Nam in priorum fabularum scaenis ingentem aram, quam ipse vocat *κοινοβωμίαν*, Aeschylus exstrui et in ea deorum, dearum, heroum statuas poni iussit; id quod res ipsa non poscebat, sed Aeschylus animo suo modum rerum quodammodo excedere cupienti indulsit.

Itaque in ara quae in Supplicibus fabula exstructa videbatur[2]) collocatae erant statuae[2]) generis antiquissimi[3]) e ligno factae[4]): Iovis cum ave sua[5]), Apollinis[6]), Neptuni cum tridente[7]), Mercurii[8]), ad quos Danaides Aegyptios fugientes considunt. Quod Wilamowitzius[9]) deorum simulacra ipsa ibi non posita fuisse, sed eorum insignia persuasum habet, a Todtio locis ex fabula ipsa allatis recte refutatus est[10]).

Eadem *κοινοβωμία* in scaena fabulae quae Septem adversus Thebas inscribitur erat[11]). Ad hanc aram communem, in qua sive *βρέτη*[12]) sive *ἀγάλματα*[13]) Iovis[14]), Iunonis[15]), Neptuni[16]), Apollinis[17]), Martis[18]), Minervae[19]), Dianae[20]), Veneris[21]), Lycii stabant[22]), feminae urbis obsessae, ut deorum heroumpue auxilium implorarent, confugerunt. Quam aram in

---

[1]) Brunn, Gesch. der griech. Kuenstler 2a p. 12. [2]) v. 212, 178/179, 340, 341. [3]) v. 207, 232, 319, 503, 860. [4]) v. 414, 446. [5]) v. 199, 202. [6]) v. 204. [7]) v. 208, 721. [8]) v. 210. [9]) Hermes XXI p. 609. [10]) Philol. XXXXVIII p. 510. [11]) v. 202, 233 et verba schol.: *τὸ κοινὸν ἄθροισμα τῶν θεῶν.* [12]) v. 93, 96, 168, 193. [13]) v. 240, 247. [14]) v. 111. [15]) v. 137. [16]) v. 122, 23. [17]) v. 145. [18]) v. 103, 125. [19]) v. 122. [20]) v. 133, 139. [21]) v. 127. [22]) v. 131.

foro urbis Thebarum collocatam fuisse, ut Wilamowitzius putat[1]), putandum non est, cum in arce eam fuisse fabula ipsa doceat[2]).

In aliarum fabularum scaenis singulae arae singulis statuis adornatae erant velut in Agamemnone. Mueller[3]) quidem de Agamemnone aliud sentit; affirmat enim in hac quoque fabula κοινοβωμίαν exstructam fuisse. Haec Muelleri sententia fortasse vera esset, si unus in disceptationem veniret locus ille quo praeco Troia reversus, postquam Terram, Lumen Solis, Iovem, Apollinem, deos certamina decernentes, Mercurium, heroes exercitus concomitantes salutavit[4]), deos apricos orat[5]), ut benignis oculis Agamemnonem redeuntem excipiant. Hic omnino non dictum est, ubi statuae positae sint, ita ut in κοινοβωμίᾳ eas stetisse suspicari non ineptum sit. Sed in parodo chori diserte sermo est de aris coruscantibus[6]).

In Eumenidibus Minervae simulacrum e ligno factum additum est, ad quod Orestes confugit[7]).

Iam vero ex fragmento 388 cognoscimus Hecates signum ante domum regiam quandam positum fuisse.

Denique hoc loco monumentum fictum in Prometheo adhibitum adiungo, avem illam quadrupedem qua Oceanus, ut Prometheum Caucaso affixum consoletur, apportatur.[8]) Sed quomodo hoc artis opus fictum sit ex Aeschyli verbis erui non potest.[9])

Neque minus poeta arte pingendi usus est, ut ornatum scaenae adderet atque spectatoribus quae agerentur melius monstraret. Traditum enim est Aeschyli scaenam pictam esse a pictore quodam cui nomen est Agatharchi[10]). Quem cum Brunnius[11]) inter ol. 80—90 floruisse dicat Orestiae solius scaenae adornandae operam navavisse veri est simile. Hoc ea

[1]) l. c. p. 608. [2]) v. 222, 223; cfr. Todt, l. c. p. 518; Richter, Zur Dramaturgie des Aeschylos p. 45. [3]) Lehrbuch der Buehnenaltert. 1886 p. 137. [4]) v. 486—495. [5]) v. 497. [6]) v. 87 sqq. [7]) v. 80, 240, 254, 405, 435, 1002. [8]) v. 290, 398, 399. [9]) cfr. Annali 1874 p. 240 sqq. [10]) Vitruvius, de arch. VII praef. § 10. [11]) l. c. p. 52.

quoque re confirmatur quod acuratissime fabularum quae Orestiam efficiunt picturas demonstrare possumus. Ita in Agamemnone domum Atridarum depictam fuisse multis huius fabulae locis comprobatur.[1] Hanc domum etiam in Choephororum fabula conspicuam[2] fuisse et complures portas[3] habuisse facile cognoscitur. Qua de causa valde miror quod Todtius[4] domum spectatores vidisse negat, sententiae suae adiumentum Choephororum versum 22 afferens, ex quo ei effici licere videtur spectatores non aspexisse domum, cum chorus in scaenam ingressus se domo egredi expresse dicat; nam si revera domus facies picta esset, chorum non dicturum fuisse se domo venire. Quod prorsus falsum esse Todtius ipse intellexisset, si omnes locos ex quibus domum regiam aspectam esse a spectatoribus cognoscitur perlegisset neque in uno illo loco haesisset.

In priore parte Eumenidum fabulae templum Apollinis Delphici conspicuus erat,[5] in quo Orestes a Furiis circumdatus versatur, in posteriore autem parte scaenam mutari necesse fuit, cum res Athenis in templo Minervae ageretur.[6] Quod omphalo remoto atque pro eo Minervae statua imposita perfacile perfici potuit. Atque praeterea areopagus cum hac in parte fabulae commemoretur, spectatoribus conspicuus fuisse existimandus est. Sed quo in loco scaenae depictus erat? Scaenam mediam eandem mansisse vel ex eo concludi licet quod Minerva ipsa dicit[7] se in urbem ituram atque, postquam iudices qui de Orestis scelere iudicent elegerit, redituram esse.

Idem valere videntur haec verba scholiastae: „*ἡ μὲν Ἀθηνᾶ ἀπῆλθεν εὐτρεπίσαι δικαστάς, ὁ δὲ Ὀρέστης.. μένει...*[8])“ Accedit quod sub finem huius fabulae ministrae templi Minervae apparent, ut Furias in templo versantes taedis lucentibus in novas sedes a Minerva iis dedicatas ducant.[9] Quae cum ita

---

[1]) vv. 3, 496, 815, 875, 921, 988, 1009, 1056, 1073, 1141. [2]) vv. 22, 344, 541, 555, 634—37, 639, 644, 713, 842, 897. [3]) vv. 693, 871. [4]) l. c. [5]) vv. 29, 177, 178, 183, 192, 203, 205. [6]) vv. 240, 659. [7]) v. 483 sqq. [8]) ad v. 486. [9]) vv. 988, 1002.

sint, Mueller recte mihi videtur iudicare areopagum in alterutra periacto depictum fuisse.[1])

Deinde ex fragmentis 58 et 281 aedes regias spectatores in scaena conspexisse conicere licet.

Num porro in Aeschyli Persis regia in scaena repraesentata fuerit perspici non potest. Itaque sunt qui dicant domum regiam pictam fuisse, cum alii negent maxime nixi versu 599 in quo domus longe abesse dicatur.[2]) Quamquam nonnullis locis de aedibus regis Persarum poeta loquitur.[3])

Tentorii faciem fabulae cuiusdam scaenam praebuisse fragmento 131 comprobatur.

Postremo loco mentionem facio nonnullarum rerum quae nostro sermone „Setzstuecke“ appellantur, quae, ut a spectatoribus quid significarent cognosceretur, procul dubio picturis ornatae fuerunt. Inter eas res sunt: rupes, cui Prometheus affixus erat[4]), et sepulcra in Persarum[5]) et Choephororum[6]) scaenis posita.

Itaque patet Aeschylum plerasque eas res quae actioni digne pulchreque instituendae usui sunt ex arte effectiva repetiisse.

Iam vero demonstrare conabor etiam singulas personas in scaenam a poeta esse productas quae cum tacitae atque immotae per aliquot temporis momenta in scaena versarentur ad dramatis actionem non modo non multum pertinent, sed eam retinent neque alio consilio a poeta inductae sunt nisi ut quasi artis exemplarium instar eos qui spectabant gaudio atque admiratione afficerent. Quarum personarum statum atque habitum poeta ita elegit ut qualis animorum affectus sit definiat atque exprimat. Hoc ita se habere ex fabulis ipsis cognoscitur et eo quod scholiasta[7]) dicit firmatur; haec autem sunt eius verba: „*καὶ γάρ τοι παρὰ Αἰσχύλῳ κάθηνταί που πρόσωπα σιωπῶντα*

[1]) Lehrbuch der griech. Bühnenalt. p. 163. [2]) v. Willamowitz-Moellendorf l. c. p. 607; Todt, l. c. p. 518; Mueller, Philol. Suppl. VI p. 16 ann.; Richter l. c. p. 105. [3]) vv. 159, 840. [4]) vv. 4, 5. [5]) vv. 645, 656, 677. [6]) vv. 4, 99, 333, 488. [7]) Eustathius Od. p. 1941, 1.

ἐφ' ἱκανὸν σχῆμα ἢ πένθους ἢ θαυμασμοῦ ἤ τινος ἑτεροίου πάθους."

Ita enim in trilogia quae ex Myrmidonibus, Nereidibus, Phrygibus constat Achillem et superbia et luctu permotum diu in scaena capite obvoluto tacitum sedisse scimus.[1]) Item Niobe in media scaena liberorum ab Apolline et Diana interfectorum sepulcro assidens maesta tacet.[2]) Simile immotae taciturnitatis exemplum praebent in Persis Atossa, cum magnam Xerxis filii cladem resciverit,[3]) in Septem adversus Thebas Antigone et Ismene sorores fratrum qui invicem se interfecerant mortem lugentes,[4]) in Agamemnone Cassandra, quae a Clytemestra saepius invitata, ut in regiam introeat, ex loco se non movet,[5]) Prometheus, qui quamquam affigendo ad Caucasum gravissimis cruciatur doloribus loqui tum demum incipit, cum Vulcanus munus suum perfecit.[6])

Quod ad Achillis habitum attinet, Brunnius cognovit[7]) habitum illum et vasorum nonnullorum imagines in quibus Achilles capite obvoluto sedens pictus est inter se simillima esse. Falso tamen iudicavit pictores earum dependere ab Aeschylo. Nam imagines illae a Brunnio ad Aeschyli trilogiam relatae partim nigris, partim rubris figuris severiore modo pictae sunt;[8]) ex quo intellegitur iam ante Aechylum eas esse ortas. Attamen Aeschyli personae illae et artificum picturae necessitudinis vinculo quodammodo inter se coniunguntur. Nam cum artificum proprium sit in exprimendis affectibus personarum uno momento eoque aptissimo uti idoneo illis habitu addito quis est qui neget poetam cum idem faciat secutum esse artium monumenta? Qua in re etiam eo adiuvor quod Aristophanes[9]) cum Achillem et Nioben velatos et silentes ab Aeschylo in scaenam inductos πρόσχημα τῆς τραγῳδίας i. e. decus tragoe-

---

[1]) Aristophanis l. c. v. 912, 913. [2]) Aristophanes, l. c.; frg. 157. [3]) v. 288: σιγῶ πάλαι . . . [4]) v. 840—931 (editio Hermanni). [5]) v. 775—1024. [6]) v. 1—87, cfr. schol. annot. ad v. 438. [7]) Troische Miscellen III p. 179. [8]) Robert, Arch. Z. 1881 p. 140; Robert, Bild u. Lied, Nachtraege p. 251 zu S. 141. [9]) l. c. v. 913.

diae esse dicat poetam reprehendit neque ad eius artem id pertinere existimare videtur. Eustathius [1]) vero affirmat Aeschylum Timanthem pictorem qui in immolandae Iphigeniae pictura caput maesti Agamemnonis obvolvisset imitatum esse. Ita enim dicit: „*Ὁ Σικυώνιος Σεμάνθης (Τιμάνθης) τὴν ἐν Αὐλίδι γράφων σφαγὴν τῆς Ἰφιγενείας ἐκάλυψε τὸν Ἀγαμέμνονα, ὅπερ καὶ Αἰσχύλος μιμησάμενος τήν τε Νιόβην καὶ ἄλλα πρόσωπα ὁμοίως ἐσχημάτισε.*“ Miscuit ille quidem scholiasta tempora quibus Aeschylus et Timanthes fuerunt — Timanthes enim post Aeschylum quarto saeculo floruit, [2]) — sed recte cognovit non tam poetas scaenicos quam artifices personas eiusmodi invenire potuisse. Atque revera artifices praeter unum illud Achillis exemplum quod iam supra tetigimus multas alias figuras similes ante Aeschylum excogitaverunt. In artium enim monumentis ad carmina epica spectantibus et in ea arte quae sepulcris ornandis inserviebat illi typi lugentium fingi atque pingi coepti Polygnoti picturis praestantissimis ad summam perfectionem evecti sunt. Quas inter figuras hoc loco affero Achillem capite velato sedentem. [3]) Idem habitus in aliis personis in gemmis saeculo V factis invenitur, [4]) quem harum gemmarum sculptores primos non finxisse, sed opus artis maioris reddidisse manifestum est. Praeterea commemoramus maerentem illam Penelopen [5]) quam Electram esse alii suspicantur et „anaglyphum Melicum“ ab artifice quodam Attico fictum, in quo Electram et Orestem ad tumulum Agamemnonis patris versantes conspicimus. [6]) Iam vero cum Polygnoti Troadibus captis, quas flentibus esse similes Pausanias tradit, [7]) cum Heleno vate maerente, [8]) cum Antenoris familia dolore obruta, [9]) quae personae omnes in *Ἰλίου πέρσιδος* tabula pictae sunt, cum Sarpedone tristi [10]) in *Νεκυίας* tabula repraesentato personas illas maerentes ab Aeschylo in scaenam ductas conferre licet.

---

[1]) Il. p. 1343, 62. [2]) Brunn, Geschichte der gr. K. 2a p. 121. [3]) cfr. supra. [4]) a) Overbeck, H. B. tab. III, 2; b) Annali 1858 tab. Q; c) Roscher, Lexicon I p. 2160. [5]) Mueller-Wieseler, Denkmaeler d. a. Kunst tab. IX, No. 35. [6]) Monum. dell' Instit. VI tab. LVII. [7]) l. X c. XXV, 9. [8]) X c. XXV, 5. [9]) X c. XXVII, 4. [10]) X c. XXXI, 5.

Iam supra demonstravimus Ionem cornigeram quae in Prometheo prodiit ab artis exemplari pendere; idemque in Actaeone, quem cervi cornibus, quibus eius mutatio in cervum indicatur, in capite instructum ex fragmento 77 cognoscimus, mihi videtur valere. Neque minus Orpheus in monte sedens atque lyram plectens eo pertinet.

Has igitur personas ab Aeschylo non dramatum indolis atquae naturae necessitate, sed ad artis effectivae monumentorum exemplaria inductas esse, ut splendor atque ornatus fabulis adderetur, iam satis mihi videor comprobasse.

Nunc vero dicendum est ab Aeschylo artium monumenta imitato nonnullas personas inter se coniunctas in scaena monstratas esse, id quod discimus ex fragmentis fabularum Aeschylearum solis traditis.

In *ψυχοστασίᾳ* enim, quam fabulam Aeschyleam fuisse memoriae traditum est, Thetis et Aurora, dum Achilles et Memnon filii secum pugnant, ad Iovem confugiunt, petentes ut filiorum vita servetur. Atque Iuppiter alteri satisfaciendo alteram offendere nolens animas pugnantium pendere decernit atque hoc consilium matribus praesentibus exsequitur.[1]) Quam eandem rem Aeschylus in theologeo spectatoribus monstravit. Atque eadem fere res in vasorum imaginibus generis antiquissimi conspicitur, quarum has affero:

A) Crateris descriptam in Bulletino dell' Instit. 1865, p. 144 sq.

B) Lecythi editam in Murray, history of Greek sculpt. II p. 28.

C) Calicis editam in Monumenti dell' Instit. VI, 5a.

Simile quiddam etiam Homeri Iliados XXII, 210 exstat, ubi Iuppiter mortis sortes Achillis et Hectoris inter se congressorum pendit. Hos versus Plutarchus[2]), Aristonicus[3]), Eustathius[4]) existimant Aeschylum secutum illas *δύο κῆρε* animas

---

[1]) Plutarchus, De audiendis poetis c. 2 p. 17 A. [2]) l. c. [3]) schol. Il. VIII, 70. [4]) Il. p. 1266, 37.

esse putasse, eumque ψυχοστασίαν ita composuisse ut illas animas Iovem pendentem faceret. Qua veterum sententia reiecta viri docti aetatis recentioris alium huius rei fontem repperisse sibi videntur. Robertus [1]), cui Vogelius [2]) et Schneider [3]) assentiuntur, Arctinum Milesium in carmine epico quod Aethiopis vocatur hanc rem excogitasse sibi persuasit, cum versus illos Homeri plenius atque uberius explicaret ut pro κηροῖν ψυχάς in trutina ponentem Iovem faceret eique Mercurium, cum ψυχοπομπός esset, ψυχοστάτην inducere liceret. Quam coniecturam suam vir ille doctus eo firmare studet quod ab Arctino persaepe in carmine illo epico Homerica explicita sint. Atque ex hac Arctini narratione et Aeschyli ψυχοστασίαν et vasorum imagines hanc materiam exhibentes dependere. Sed cum in argumento Aethiopidis a Proclo conscripto nihil de ψυχοστασίᾳ dictum sit [4]) neque ullum aliud eius rei vestigium sit, fieri non potest ut Roberti sententiam probemus. Verum quod gravissimum est, animae quae in Aeschyli fabula penduntur non ex Homericis illis sortibus, ut Robertus putat, deductae sunt. Res ita se habet ut Crusius luculentissime demonstravit [5].) Κῆρας enim antiquissimis temporibus nihil aliud nisi mortuorum animas putatas fuisse comprobari ea formula proverbiali qua homines Attici animas ex aedificiis expellere solerent Anthesteriorum diebus festis exclamantes: „θύραζε, Κῆρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια“; quae verba Didymum ita interpretatum esse: „ὡς κατὰ τὴν πόλιν τοῖς Ἀνθεστηρίοις τῶν ψυχῶν περιερχομένων“. Et recte hanc rem paulo longius tractatam Crusius his finit verbis: „Hiernach muessen wir die Frage, ob die daemonischen Keren ursprünglich als κῆρες, als Seelen der Abgeschiedenen gedacht sein können, unbedingt bejahen“. Neque tamen, ut Crusius iudicat, hanc communem opinionem quae de κηροί inter homines erat Aeschylus primus secutus est illas Homeri

---

[1]) Robert, Bild u. Lied p. 145, 146. [2]) l. c., p. 21. [3]) Der troische Sagenkreis 143. [4]) Epic. Graec. frgmo. ed. Kinkel p. 33. [5]) Ersch & Gruber, Encykl. Artikel: Keren.

κῆρας in ψυχάς mutans, sed pictores prius hoc respexisse existimandi sunt. Atque cum ψυχοστασίαν in vasorum imaginibus coniunctam cum pugna quae inter Achillem et Memnonem erat conspiciamus eandemque fere aspectum Aeschylum spectatoribus praebuisse sciamus, manifestum est Aeschylum pictores imitatum esse.

Itaque sententia Luckenbachii, qui vasis littera A signati picturam ab Aeschyli fabula repetitam esse affirmavit, prorsus reicienda est [1]).

Animis heroum pensis cum eorum sors ita evenisset ut Memnon vinceretur atque interficeretur, Achilles vinceret, Thetis et Aurora matres ad filios suos pugnantes decurrunt. Aurora autem cum filium suum occisum videret, arripuit corpus eius et per auras evolavit. Hanc ipsam rem spectatores in scaena fabulae quae Memnon inscripta erat [2]) aspexerunt [3]). Machina enim demissa quae γέρανος vocatur Aurora filium suum brachiis tenens tollitur. Aeschylus hanc, ut ita dicam, vivam imaginem ipsum invenisse veri non est simile, sed unde eam deduxit vel potius quis primus Memnonem hoc modo summotum repraesentavit?

Robertus hanc narrationem in Aethiopide Arctini fuisse atque ex Iliadis XVI, 666—683, ubi ab Apolline Sarpedonem a Patroclo interfectum amoveri poeta narraret, ad Auroram et Memnonem ab Arctino translatam esse persuasum habet. [4]) Quod quidem valde dubium atque incertum est, cum Lachmannus [5]) aliique viri docti [6]) versus illos Iliadis spurios habendos esse ostenderint; et Robertus ipse hac in re haesitat. [7]) Sunt etiam qui putent versus posterioribus temporibus ortos ex Arctini carmine epico fluxisse. [8]) Itaque fieri non potuit ut Arctinus aliquid e versibus illis asciverit; neque vera mihi

---

[1]) Jahrb. fuer kl. Phil. Splbd. XI p. 560, 617. [2]) Nauck, l. c. p. 41. [3]) Pollux IV, 130. [4]) Robert, Bild u. Lied p. 114 ann. 46. [5]) Betrachtungen ueber Homers Ilias p. 73. [6]) Christ, Berichte der bayer. Ak. d. W. 1881, 2 p. 169 u. 170. [7]) l. c. et Thanatos, Winckelmp. 1878 p. 5. [8]) Schneider, l. c. p. 147.

videtur haec Roberti sententia[1]: „In Folge dessen glaube ich auch jetzt, dass die Entfuehrung des Memnon durch die Eos der Ilias nachgebildet ist". Verum quid in Aethiopide de Memnone ab Aurora sublato narratum fuerit nescimus. Nihil enim de hac re e Procli argumento comperimus, quamquam illic de Achillis corpore ex rogo per Thetidem ablato et in insulam Leucen asportato legimus. Iam igitur patet Roberti coniecturis nihil nisi incertum prolatum esse. Attamen erat fons unde Aeschylus hausisse putandus est. Sunt enim vasorum imagines nigris figuris ornatae, in quibus Auroram filium mortuum brachiis tenentem videmus — neque tamen pictus invenitur Apollo corpus Sarpedonis interfecti servans —. Hae autem sunt imagines antiquissimae iam ante Aeschyli aetatem pictae:

A) Annali dell' Instit. 1883 tab. d'agg. Q.

B) Millingen, anc. monum. 1, 5 (Overbeck, H. G. tab. XXII, 11). Atque artifices carmina quae inter homines qui tum erant de Memnone circumferebantur[2]) secuti vasa hac materia ornabant. Quod eo magis factum esse mihi videtur quod Aurora homines imprimis iuvenes pulchros rapiens in artium monumentis picta vel ficta exstat.[3]) Artifices autem Aeschylus imitatus est. Fortasse dicet aliquis etiam Aeschylum ex eodem cum artificibus fonte, sed hos neglegentem sumpsisse materiam. Quae opinio probabilis esset, si poeta hanc rem in tragoedia illa narrasset; sed ea ipsa res quod Aurora corpus filii tenentem spectatoribus ante oculos posuit vi machinarum in scaena quasi imaginem ipsam efficiens mea sententia evincere videtur Aeschylum pictorum imagines secutum esse.

Artium monumenta eaque saeculi V potissimum ab Aeschyli fabulis omnino non pendere hac mea disputatione satis demonstratum puto. Immo permultis exemplis contrarium comprobasse videor, Aeschylum artium monumenta respexisse atque ea adhibuisse, ut eorum qui audiebant et spectabant mentes caperet

---

[1]) Bild u. Lied, l. c. [2]) Brunn, Tr. Misc. III p. 201. [3]) Roschers Lexicon I[1] p. 1272.

atque commoveret fabulisque adderet splendorem atque ornatum, sive artis opera commemorat et describit sive scaenae instituendae atque exornandae curam tribuit sive singulas personas et complures in unum consociatas imaginum instar inducit.

Atque etiam hoc ex hac disputatione cognoscimus, Polygnotum, clarissimum illum pictorem, atque Aeschylum poetam vinculo quodam cohaerere. Quod cum ex ea re colligere licet quod Aeschylus nonnullas imagines describit, quas similes a Polygnoto pictas esse scimus, veluti Iphigeniae immolationem in Agamemnone, pugnatorem scalas ascendentem in Septem adversus Thebas fabula, Orpheum cantorem in Bassaridibus tum ex eo quod ambo ad mores personarum definiendos atque animi affectus exprimendos personarum aptissimo habitu atque statu usi eas spectatoribus proponunt. In Polygnoti enim figuris praecipue laudatur quod ἤϑη in iis manifestata fuerunt atque ob eam rem Aristoteles[1]) iuvenes impulit, ut eius picturas aspicerent. Quos personarum mores, de quibus Brunnius recte ita dicit[2]): „Es ist der unveraenderliche, von den einzelnen Handlungen durchaus unabhaengige Charakter der Personen, durch welchen vielmehr die Handlungsweise des Individuums ueberall erst bestimmt wird, ohne dass die jedesmalige Situation auf ihn selbst eine Rueckwirkung auszuueben vermochte“ et quos Polygnotus apto corporis habitu electo expressit, hos ipsos mores etiam in Aeschyli fabulis deprehendimus. De Prometheo quidem idem Brunnius hoc disputat[3]): „Und in der That ist dies der Fall namentlich bei Aeschylos, in dessen Prometheus z. B. die Bedeutung des Ethos fast die Bedeutung der Handlung ueberwiegt.“ Alia huius rei exempla quae poetam et pictorem arte inter se coniunctos fuisse demonstrant haec sunt: Feminae maerentes Antigone-Ismene, Atossa, Cassandra, Electra[4]) respondent in Polygnoti tabula quae *Ἰλίου πέρσις* inscripta erat captis Troadibus et Antenoris familiae Troia diruta profecturae.[4])

---

[1]) Poet. 2, 1; 6, 6; Pol. 8, 5. [2]) l. c. p. 43. [3]) l. c. p. 44. [4]) cfr. supra.

Cum Sarpedone[1]) et Thamyra[2]) in *Νεκυίας* tabula et Heleno[3]) in *Ἰλίου πέρσιδος* comparandi sunt Achilles et Niobe apud Aeschylum in scaena taciti sedentes.

In tota utriusque operum compositione iam pridem viri docti cognoverunt Aeschylum et Polygnotum inter se esse simillimos. Cum enim ambo res epicas et ab Homero et a poetis cyclicis narratas in operibus adhibuerint, ex eodem fonte materias suas eos deduxisse apparet. Neque minus similes sunt eo quod non singulas fabularum partes ad repraesentationes maxime idoneas, sed totas fabulas elegerunt.[4]) Veluti Troiae excidium[5]) ab Aeschylo in dramatis formam redactum et a Polygnoto in lesche Delphica Cnidiorum pictum erat.[6]) Deinde uterque trilogias componere solitus est. Polygnotus enim porticus quae *ποικίλη* vocata erat unum et eundem parietem his tribus picturis adornavit[7]): Pugna Marathonia, Pugna Amazonum, Excidio Troiae, in quibus Wachsmuthius ut in poesi Aeschylea temporum et praeteritorum et praesentium facta in trilogiam coniuncta apparere dicit.[8])

Itaque Polygnotus quamquam poetarum scaenicorum fabulas minime picturis suis reddidit, tamen non immerito pictor tragicus[9]) appellatus est.

Polygnotum et Aeschylum necessitudinis quodam vinculo coniunctos esse ex utriusque operibus demonstrare studuimus. Quod probamus contra sententiam virorum doctorum, qui Polygnotum anno 463 62[10]) patria Thaso insula a Cimone capta Athenas venisse ibique post annum 460 floruisse[11]) sibi persuaserunt. Hoc tamen falso putari atque Polygnotum aequalem non multo minorem natu fuisse Aeschylo, qui inter annum 485 et 458 floruit, ostendi potest.

---

1) cfr. supra. 2) Pausanias X c. XXX, 8. 3) cfr. supra. 4) Aristoteles, Poet. 18, 4. 5) Welcker, Aesch. Trilogie p. 442. 6) Pausanias X, c. XXV sqq. 7) Pausanias I, 15, 12. 8) Athen II p. 513. 9) Klein, Euphronios p. 239; Vogel, l. c. p. 15. 10) Furtwaengler, 50 Winckelmpr. p. 162. 11) Robert, Nekya p. 76.

Primum enim scimus versus tabulis a Polygnoto Cnidiorum iussu confectis suprascriptos a Simonide poeta compositos esse.[1] Cum hic poeta anno 467 mortuus sit,[2] ante hunc annum et illos versus scriptos et tabulas pictas esse manifestum est. Girardius[3]) adeo contendit versus ante annum 476 ortos esse, propterea quod Simonides eo anno in Siciliam demigraverit neque inde reverterit. Robertus quidem illos versus ad definienda tempora quibus Polygnotus floruerit nullius momenti esse iudicat, quod nonnullae vasorum imagines ex Polygnoti picturis pendentes multo posterius pictae putandae sint[4]); sed hac causa illud epigramma non amovetur, praesertim cum singula vasorum imaginum genera ut supra demonstravi, prioribus temporibus quam viri docti existimare solent viguerint.

Atque Polygnotum Athenis fuisse, priusquam Delphis illas imagines pinxerit, ex imaginibus ipsis colligi licet. Fabulas enim Atticas in iis adhibuit. Ita in *Νεκυίας* tabula Phaedra sedens in oscillo[5]) de die festo Atheniensium qui vocatur *αἰώρα* cogitare cogit. Porro Theseus et Pirithous Tartari solo affixi in media imagine picti sedent[6]). In *Ἰλίου πέρσιδος* tabula Aethra, Thesei mater, et Demophon, Thesei filius, repraesentati erant[7]).

Accedit quod Polygnoto cum aliis pictoribus mandatum est, ut Theseum, in quo ossa Thesei ex insula Scyro Athenas a Cimone asportata sepulta erant, exornaret[8]); quod haud dubie anno 471 aedificatum est, quo anno Cimonem Thesei ossa ex insula illa Athenas transtulisse scimus[9]). Polygnotus autem iam antea gloriam sibi paravisse existimandus, est, quod ad Theseum exornandum advocatus est.

Neque minus porticum quae vocatur *ποικίλη* Polygnotus imaginibus adornavit[10]) imprimis tabula qua Troiae excidium repraesentatum erat. Inter personas in ea tabula pictas Athe-

---

[1]) Pausanias X c. XXVII. [2]) Girard, La peinture antique p. 156. [3]) l. c. [4]) l. c. [5]) Pausanias, X c. XXIX, 3. [6]) Pausanias l. c. XXIX, 9. [7]) Pausanias l. c. XXV, 8. [8]) Harpocration, *Πολύγνωτος*: cfr. Jahrb., Arch. Anzeiger 1889 p. 142. [9]) Clinton, fasti. [10]) Harpocration, *Πολύγνωτος*; Wachsmuth, l. c. p. 502.

nienses in Laodices imagine Elpinicen, Cimonis sororem, agnoverunt[1]). Cum Elpinicen anno 489 κόρην fuisse traditum sit, fieri non potest quin ante annum 470 picta sit, nam Il. III, 124 Laodice εἶδος ἀρίστη appellatur et ad cuius similitudinem picta est[2]), ne Elpinice quidem flore iuventutis carere poterat.

Itaque persuasum habeo Polygnotum iam ante annum 470 Athenis floruisse eo adscitum fortasse a popularibus suis qui, ut Duemmler non inepte suspicatur, Athenis iam diu artem pingendi exercebant[3]). Hoc autem tempore Cimon Athenis rei publicae gubernacula tractavit. Ita temporibus definitis apparet Brunnium recte iudicare simili Cimonem et Polygnotum vinculo necessitudinis atque Periclem et Phidiam iunctos fuisse[4]). Quod credere non liceret, si Polygnotus anno 463/62 Athenas venisset; etenim iam anno 460 Cimon e patria expulsus est.

Atque nunc, quod maximum est, eo magis intellegitur quare Aeschyli et Polygnoti opera inter se similia esse contendam.

---

[1]) Plutarchus, Cimon 4. [2]) cfr. Brunn, Gesch. d. K. 2a p. 16. [3]) Bonner Studien p. 90. [4]) Brunn, l. c. p. 15.

APR 18 1910


Ga 9.783
Observationes archaeologicae ad Aes
Widener Library 006312191
3 2044 085 084 119